





213.





Disputatio XVI.

165.

DE CRIMINE REPETVNDARVM, CRIMINE  
Fraudatæ Annonæ, Peculatu, Sacrilegio furtiuo, crimine Resi-  
duorum, Ambitu & Plagio:

Q V A M,

*Diuina aspirante gratia.*

P R Æ S I D E,

C L A R I S S I M O

E T C O N S V L T I S S I M O V I R O,

D N. H E N R I C O B O C E R O, V. I. D.

*& Antecessore in illustri Tubingensium Academia. prestan-  
tissimo, Præceptore suo imprimis ho-  
norando,*

ORDINARIÏ EXERCITII GRATIA,  
tempore, locoq; consuetis, pro virili tueri  
conabitur

I O H A N N E S L E V C H S N E R V S

*Franco.*



T V B I N G A,  
*Apud Georgium Gruppenbachium.*

Yy

M. D. X C I X.



Diplomatie 2 V. 1.

DEPARTMENT OF THE ARMY  
HEADQUARTERS  
WASHINGTON, D. C.

OFFICE OF THE  
ADJUTANT GENERAL  
WASHINGTON, D. C.

ORDINARY EXERCISES

JOHANNES



ADJUTANT GENERAL

M. D. 1812.





166

# Disputatio XVI.

DE CRIMINE REPETUNDARUM, CRIMINE  
Fraudatæ Annonæ, Peculatu, Sacrilegio furtiuo, crimi-  
ne Residuorum, Ambitu, &  
Plagio.

## T H E S I S I.

**R**X publicis criminibus reliqua nobis quæ sunt, nunc or-  
dine persequi iuuat, veluti, Crimen Repetundarum, (a)  
Crimen Fraudatæ Annonæ, (b) Peculatus, (c) Sacri-  
legium furtiuum, (d) Crimen Residuorum, (e) Am-  
bitus, (f) & Plagium. (g)

a) De hoc crimine vid. Tyber. Dec. in Tract. Crimin. lib. 8. c. 33. & seqq. 7.  
(b) vid. eundem Decian. lib. 7. c. 21. (c) Inspice Decian. lib. 8. c. 28. & seqq. 2.  
(d) consule eundem Decian. lib. 6. c. 31 & seqq. 7. (e) De hoc crimine lege Dec.  
lib. 8. c. 31. & seq. (f) consule Decian. lib. 8. c. 21. & seqq. 5. Et Iodoc. Dambouder.  
in praxi rer. crim. c. 111. (g) De Plagio vid. Cyrill. Fulgeonium in summa Crimi-  
nialium, rubr. 26. de publicis iudic. §. vltim. & Duaren. ad tt. ff. ad L. Fab. de Pla-  
giarijs.

### II.

Crimen Repetundarum (a) est, publicum maleficium, (b)  
quod magistratus, vel alius qui in officio publico est, (c) fordidè  
& turpiter se gerendo, (d) contra Legem Iuliam Repetundarum  
(e) committit.

a) Dicitur Crimen Repetundarum in l. vlt. ff. de l. Iul. Repetund. (b) l.  
vltim. in fin. C. ad l. Iul. Repetund. l. 1. ff. de publ. iudic. l. ex iudiciorum 20. ff. de  
accusat. & l. vlt. ff. ad l. Iul. Peculatus (c) l. 1. ff. de l. Iul. Repet. & t. t. C. ad l. Iul.  
Repetund. (d) l. eadem l. 6. §. 2. ibi, Magistratus ab omni sordese abstineant. ff.  
eod. t. Cuiac. in lib. 36. quæst. pag. 210. (e) t. t. ff. de l. Iul. Repetund. & t. tit. C. ad  
l. Iul. repetund.

### III.

In hoc crimine spectamus vniuersè tum eius genera; tum viam  
& modum litigandi de eo.

### IV.

Genera criminis Repetundarum quatuor maximè sunt: vnum,  
si proconsul legatum suum ante se, de prouincia dimittat. (a) Alte-

Yy 2

rum



rum, si senator nauem maritimam habeat. (b) Tertium, si magistratus in acceptum ferat opus publicum faciendum, frumentum publicè dandum, præbendum, ad præhendendum, facta recta tuenda, antequam perfecta, probata, præstita lege erunt: (c) Postremum si magistratus, vel alius, qui in officio publico est, à priuatis sordidè pecunias accipiat. (d)

a) *l. Meminisse 10. §. 1. ff. de offic. procons.* (b) *l. 3. in fin. ff. de vacat. mun.* (c) *l. Lex Iulia 7. §. illud quoque. ff. de l. Iul. repetund. vid. Cuiac. lib. 11. obs. c. 22.* (d) *De hoc genere est totus tit. ff. de l. Iul. repetund. & t. t. C. ad l. Iul. repet.*

## V.

Hoc quartum genus in duas discedit species: Vna est, cùm quis pro publica sua potestate ab inuito pecuniam extorquet. (a) Altera, cùm quis magistratus aut iudex, vel horum minister quò magis, aut minùs quid ex officio suo publico faceret, à volente commodum aliquod percipit: (b) veluti, ob iudicandum, decernendumue, (c) ob testimonium denunciandum, vel non denunciandum; (d) ob militem legendum, mittendumue: ob sententiam in senatu, vel publico consilio dicendam: ob accusandum vel non accusandum: (e) ob iudicem, arbitrumue dandum, mutandum, iubendumue, vt iudicet: vel ob non dandum, non mutandum, non iubendum vt iudicet: ob hominem in vincula publica conijciendum, vincendum, vinciriue iubendum, exue vinculis dimittendum: ob hominem condemnandum, absoluendumue: ob litem æstimandam, iudiciumue capitæ pecuniæue faciendum, vel non faciendum. (f)

a) *l. 1. l. 2. l. 4. in princ. ibi, concussus l. vnusquisque 5. ibi, concussum C. ad l. Iul. repetund.* (b) *l. 3. l. 4. vers. si quis scit, & l. vlt. C. d. t. l. 1. l. 3. l. 4. l. 6. l. 7. l. 8. & l. 9. ff. eod. t. Nouell. 8. c. 1. & 7.* (c) *l. 3. ff. h. t.* (d) *l. 6. in prin.* (e) *d. l. 6. §. 2. ff. b. t.* (f) *l. 7. in princ. ff. eod. t.*

## VI.

Neq; refert, commodum illud in donatione consistat, vel in venditione, aut locatione: vt si pluris minorisue venditio, aut locatio facta sit.

*l. pen. ff. de l. Iul. repetund. & l. vltim. C. ad l. Iul. repetund.*

## VII.

Via & modus litigandi de hoc crimine duplex est: Ciuilis, & criminalis: cui vtriq; locus est, etiam magistratu, & officio nondum finito.



*l. 4. C. h. t. Cuiac. in lib. 36. quaest. Papin. pag. 210. & Cyrillus Fulgeonius in Summa criminal. rubr. 2. de publicis iudic. S. 9.*

VIII.

Ciuiliter litigare de hoc crimine potest ille, cui inuito magistratus, aut alius, qui in officio publico est, pecuniam extorsit, & quidem dupliciter; Conditione scilicet ob turpem causam, (a) vel Conditione ex lege in quadruplum eius, quod ablatum est. (b)

a) *per l. 3. C. de condict. ob turpem causam, vid. Donel. lib. 15. commentar. c. 39. pag. 513. & Ioan. Robert. lib. 1. sentent. iur. c. 11. (b) l. 1. C. ad l. Iul. repetund. l. 3. C. de assessoribus & Nouell. 8. c. 1. & 7. & Nou 161. c. 1.*

IX.

Quadruplum autem illud totum cedit actori spoliato, si aduersus ipsummet magistratum aut iudicem agat: (a) qui ex suorum quoque comitum & ministrorum huiusmodi facto tenentur. (b) Quod si consiliarius iudicis, aut cancellarius, vel domesticus eius prorektor inuito alicui quid abstulerit, & contra hunc spoliatus suam in quadruplum stringat actionem, duplum spoliatus accipit, & duplum fiscus acquirit. (c)

a) *d. Nouell. 8. c. 7. siue igitur à nobis, ibi, Quadruplum reddent totius quantum perceperunt, & ibi Cuiac. Idem Cuiac. ad Iul. Paul. lib. 5. sent. t. 28. Dissentit post Azon. Vvesemb. in parat. ff. de l. Iul. repetund. n. 5. Qui fisco hanc poenam tribuant. Accursius autem putat, ciuitati hanc poenam inferrì per Nouell. 123. c. 2. (b) d. l. 1. C. ad l. Iul. repetund. & d. Nouell. 8. c. 1. & 7. & Nouell. 161. (c) d. l. 3. C. de assessorib. Cuiac. ad d. Nou. 8. & in lib. 15. Respons. Papin. pag. 580. col. 2.*

X.

Criminaliter iudicio publico quilibet ex populo experiri de hoc crimine potest, cuiuscunque generis crimen fuerit.

*Cum enim lex Iulia Repetundarum, qua publici iudicij lex est, l. 1. ff. de public. iud. huius generis crimen coerceat, patet inde, quod cuius etiam de populo accusatio huius criminis permittatur, per text. in §. 1. Instit. de public. iudic. & l. palam 43. §. senatus ff. de ritu nuptiar. De posterioris generis specie prima est textus in d. Nou. 8. c. 7. in fin: de specie altera est textus in d. l. vlt. in f. C. ad l. Iul. repetund.*

XI.

Quod si crimen posterioris speciei quarti generis fuerit, reus & in quadruplum eius quod accepit damnatur, (a) & insuper extraordinem punitur, quæ extraordinaria poena conuertitur quoque in omnem alium huius criminis reum, criminaliter accusatum. (b)

Yy 3

a) d. l.



DISPUTATIO

a) *d.l.vlt.in fin. C. ad l. Iul. repetund.* (b) *l. lex Iulia 7. §. hodie ex lege repetundarum ff. de l. Iul. repetund.*

XII.

Quadruplum autem illud non modò ab accipiente, sed & à dante exigi hoc publico iudicio potest, (a) idq; totum fisco vindicatur. (b) Ille qui dedit, condicere datum nequit, cùm eius turpitudine hic arguatur. (c)

a) *d.l.vlt.in fin. C. ad l. Iul. repetund.* (b) *l. ex iudiciorum 20. ff. de accusat.* (c) *l. 5 ff. de condict. ob turpem causam. Cuiac. in libr. 15. responsor. Papin. pag. 580. col. 2.*

XIII.

Et licet ante actionem, vel accusationem mortuus sit reus, tamen ab heredibus eius, per iudicium exigi quadruplum illud intra annum potest, (a) post annum, simplum. (b)

a) *l. 2. C. ad l. Iul. repetund. l. 2. ff. eod. d. l. ex iudiciorum 20. ff. de accusat. & l. vlt. ff. ad l. Iul. Peculatus. Cuiac. in lib. 36. quest. Papin. pagin. 210. & seq. Est & alius casus in l. penultim. C. ad l. Iul. repetund. quo inter annum deposita administrationis, simpli tantùm repetitio est.* (b) *gl. ad d. l. 2. ff. de l. Iul. repetund. Tyber. Decian. in tract. Criminal. lib. 8. c. 37. n. 22.*

XIV.

Extraordinariam illam, quod attinet, pœnam, ea plerunque est exilium; quandoq; tamen duriùs punitur reus, pro vt scilicet admiserit. Quid enim, si ob hominem necandum pecuniam acceperit, vel licet non acceperit, calore tamen inductus, interfecerit, vel innocentem, vel quem punire non debuerat? Capite plecti debet, vel certè in insulam deportari, vt plerique puniti sunt.

*d. l. lex Iulia 7. §. vltim. ff. de l. Iul. repetund. Quo loco exilium est lata fuga, aut loco circumscripta, quod salua ciuitate contingit, vt in l. 5. ff. de interdict. & relegat. non est deportatio, quippe cum in eo §. deportatio in insulam, opponatur exilio, & hoc durior pœna dicatur. De significatione Exilij, vide quoque Iohan. Robert. lib. 4. sentent. c. 11. & Cuiac. ad Iul. Paulum lib. 5. t. 4. & t. 17. §. 2.*

XV.

Quòd si ipsemet litigator in exordio litis fassus fuerit, se dedisse alicui, vel promississe quidpiam litis causa, idque probauerit, ipse quidem veniam meretur: qui verò accepit, aut promissionem



nem suscepit, siquidem pecuniaria sit causa, dati triplum, promissi duplum fisco pendit, & dignitatem seu cingulum, quod habet, amittit. Sin criminalis sit accusatio, confiscationem propriae substantiae patitur, & in exilium mittitur.

*Novell. 124. c. 2. Auth. Nouo iure C. de poena iudic. qui malè iudic.*

XVI.

Est & hæc definita poena crimini repetundarum, quod venditiones, locationes eius rei pluris minorisue factæ, ipso iure nulla sunt: quodq; res ipsa tradita vsucapi non potest, priusquam in potestatem eius, à quo profecta est, heredisue eius veniat. (a) Quod denique condemnatus lege repetundarum testimonium publicè dicere, aut iudex esse, postularèue prohibetur.

a) *l. penul. ff. de l. Iul. repetund.* (b) *l. eadem 6. §. 1. ff. d. tit.*

XVII.

Monendum hoc loco & illud, quod lex Iulia repetundarum permittit magistratui dona, muneràue capere à sobrinis, priorèue gradu cognatis & vxore, & quidem in infinitum, id est, non expressa certa quantitate: (a) à cæteris verò vsque ad aureos duntaxat centum in annis singulis. (b)

a) *l. 1. §. 1. d. l. lex Iulia 7. §. apparet ff. de l. Iul. repetund.* (b) *l. eadem l. 6. in fin. ff. d. s.*

XVIII.

Nullam tamen quantitatem ab villo capere licet ob iudicem, arbitrumue dandum, mutandum, iubendumue, vt iudicet, ob non dandum, non mutandum, non iubendum, vt iudicet: ob hominem in vincula publica conijciendum, vincendum, vinciriue iubendum, exue vinculis dimittendum: ob hominem condemnandum, absolnendumue ob litem æstimandam, iudiciumue capitis, pecuniazue faciendum, vel non faciendum,

*d. l. lex Iulia 7. in princ. iunct. §. 1. vers. ab his autem ff. de l. Iul. repetund. Cuius ac. lib. 6. obs. c. 18. vers. sunt tamen quedam causa.*

XIX.

Esculentum quoque poculentumue, quod intra dies proximos prodigatur, magistratus licitè accipere potest.

*l. plebiscito 18. ff. de offic. presid. & l. solent 6. in fin. ff. de offic. procons.*

XX.

Xenia item iure capere potest, si modum non excedat, sed me-

mi-





DISPUTATIO

minerit prouerbij illius. ἕτε πάντα, ἕτε πάντοτε, ἕτε παρὰ πάντων, id est, neque omnia, neq; quouis tempore, neq; ab omnibus. Nam valdè inhumanum est, à nemine accipere: sed passim vilissimum est: & omnia, auarissimum.

*d.l. solent 6. s. vlt. ff. h. t. Xenium à dono & munere differt, vt patet ex allegato loco, & docet Cuiac. d. lib. 6. obs. c. 18.*

XXI.

SEQUITUR DE CRIMINE FRAVDATÆ ANNONÆ. Crimen fraudatæ Annonæ est publicum maleficium, (a) quod committit is, qui contra vtilitatem annonæ quid dolo malo agit. (b)

a) *l. 1. in fin. ff. de public. iudic.* (b) *l. 1. l. 2. in princ. ibi, contra annonam fecerit & l. vlt. §. vlt. ibi, ad vtilitatem annonæ ff. de l. Iul. de Annona.*

XXII.

Circa hoc crimen triplex inspectio incurrit: Vna, quæ contineantur annonæ appellatione, & de modis, quibus admittitur hoc crimen: altera de his, qui, apud quem accusare aliquem de hoc crimine possunt: Tertia de via litigandi de hoc crimine & pœna eius.

XXIII.

Appellatio annonæ continet omnia, quæ ad victum humanum pertinent, vt est frumentum, panis, vinum, oleum, sal, acetum, lardum, caso; (a) ligna item non ineptè huc à quibusdam referuntur: (b) Et sub militari annonâ contineri quoque videtur palea, (c) & fœnum: (d) quæ duo propriè capita vocantur. (e)

a) *l. 1. C. de erogatione militaris annonæ, lib. 12. Cuiac. ad rubr. Cod. de Tributis & annona, lib. 10. Tyber. Decian. lib. 7. Tract. Criminal. c. 22. n. 1. in fin.* (b) *gl. ad l. septem dierum 12. C. de erogat. milit. annon. lib. 12. Fulgos. consil. 115. incip. Istud nomen, & Decian. d. c. 22. n. 1. in fin.* (c) *l. 2. C. de erogat. milit. an. lib. 12.* (d) *l. prouincialium 8. C. d. t.* (e) *Cuiac. ad l. super creandis C. de iure fisci, libr. 10. & ad d. l. prouincialium 8. C. de erogat. mil. an. lib. 10.*

XXIV.

Modi, quibus committitur hoc crimen hi sunt: si quis societatem coeat, quò annonâ carior fiat: vel nauim, nautamue annonariam retineat, aut dolo malo faciat, quò magis detineatur: (a) si quis item monopolium annonæ exercent, aut conspirent vel paciscantur negociatores ne, merces annonarias minoris, quàm inter se statuerint, ven-



vendant: (b) Tum etiam si quis coemptas merces annonarias sup-  
primat, dum ex raritate & inopia caritatem affectat: Et si locupletio-  
res quique fructus suos æquis precijs vendere negent, dum minus  
vberes prouentus exspectant: (c) aut quispiam stateras habeat ad-  
ulterinas, vel mensuras falsas. (d)

a) l. 2. ff. de l. Iul. de annona. (b) l. vn. C. de monopolijs. (c) l. anno-  
nam 6. ff. de extraord. crimin. iunct. d. l. 2. ibi. qui contra annonam fecerit, quo  
annonam carior fiat ff. de l. Iul. de annona (d) d. l. 6. §. vlt. onerant ff. de extraord.  
criminibus.

## . XXV

Cæterum quæri hoc loco potest, an cogere quem liceat magi-  
stratum, merces annonarias iusto vendere precio? Id quod nos af-  
ferimus.

Per l. 1. §. cura carnis ff. de offic. præfect. vrb. & l. 1. C. de episcopal. audientia.  
Et sentiunt ita quos refert & sequitur Decian. lib. 7. c. 22. n. 24. sed obstare videtur  
l. nemo exterius 9. C. de iudæis & l. non enim 9. ff. de act. rerum amot. & l. 3. §. 1. ff. de  
l. Iul. de annona.

## XXVI.

Accusare de hoc crimine reum possunt, qui aliàs ad accusan-  
dum non admittuntur: veluti seruus dominum suum, (a) tum et-  
iam mulier. (b)

a) l. 1. ff. d. t. (b) l. vlt. §. fin. ff. eod. t.

## XXVII.

Accusatio autem rei huius criminis instituebatur in antiqua  
Romanorum repub. apud præfectum Annonæ.

l. vlt. in fin. ff. d. t. & l. 1. C. de apparitorib. præfecti annonæ lib. 12. l. 2. §. Et hæc  
omnia 33. ff. de orig. iur. Fuit tamen præfectus annonæ sub dispositione præfecti vrbi,  
& hic etiam annonæ ciuilibus curam agebat l. 1. C. de offic. præf. vrbi. & l. 1. §. cura car-  
nis ff. d. t. Cuiac. ad d. l. 1. C. de apparitorib. præf. annon. lib. 12. in terris Ecclesiæ an-  
nonæ curam agunt Episcopi l. 1. C. de Episcopali audient.

## XXVIII.

De hoc crimine litigare quis potest, vel criminali iudicio extra-  
ordinario, vel publico iudicio. (a) Extraordinario criminali iudi-  
cio, si quis annonarias merces coemptas supresserit, vel locupletior  
aliquis, fructus suos æquis precijs vendere recuset, vel modo men-  
Z z sua-



furarum falso utatur: quibus casibus negotiatoribus ipsis, huius peccati reis, negociatione interdicitur: interdum etiam pro modo admisi relegari solent, & humiliores ad opus publicum dari. (b)

a) vid. Decian. in tract. Criminali lib. 7. c. 22. n. 39. (b) d. l. annonam 6. ff. de extraord. crim. & l. in dardanarios 37. ff. de pœnis.

## XXIX.

Monopolium exercentes, licet principis rescripto muniti sint, extraordinario iudicio criminali, proprijs bonis spoliati in perpetuum exilium damnantur: Negotiatores verò, qui quasi conspiratione inter se facta, in populi perniciem pacti sunt, ne minoris vel vendant merces suas eo, quod statuerint, conuenerint uel inuicem, quadraginta librarum auri pœna plectuntur.

d. l. vn. C. de monopolijs.

## XXX.

Publicum iudicium, quo vindicari potest crimen fraudatæ annonæ, est vel iudicium legis Iuliæ de annonæ, vel legis Cornelie de falsis.

## XXXI.

Lege Iulia de annonæ tenentur omnes, qui contra annonam quid fecerint, (a) & quidem plectuntur 20. aureorum pœna. (b)

a) l. 1. & l. 2. in princ. ff. de l. Iul. de Annonæ. (b) d. l. 2. §. vlt. ff. d. t.

## XXXII.

Iudicio legis Cornelie de falsis punitur, qui per stateras adulterinas annonam fraudauit, quiq; falsis mensuris onerauit annonam: qui ex D. Traiani edicto pœna legis Cornelie de falsis, (a) deportatione (b) scilicet tenetur, verum, ex D. Hadriani decreto relegatione in insulam coërcetur. (c)

a) l. annonam 6. §. pen. ff. de extraord. crimin. (b) l. 1. §. vlt. ff. ad l. Cornel. de falsis, & §. Item lex Cornelia de falsis, Instit. de public. iud. (c) d. l. annonam 6. §. vlt. ff. de extraord. crimin. & l. pen. §. 1. ff. ad l. Cornel. de falsis.

## XXXIII.

NUNC DE PECVLATV. Peculatus est crimen publicum, (a) quod ab eo committitur, qui pecuniam publicam, sacram, vel religiosam interciper, (b) cum suæ fidei commissa non sit. (c)

a) l. vlt. ff. ad l. Iul. pecular. & l. 1. ff. de public. iudic. (b) l. 1. l. 4. l. Sacri-legi.



*legi. 9. §. Labeo ff. ad l. Iul. peculat. & §. item lex Iulia peculatus Inst. de publ. iud.*  
 (c) *d. l. 9. §. Labeo ff. ad l. Iul. peculat.*

XXXIV.

Eius species duæ sunt: Vna generis nomen retinet, & peculatus dicitur: Altera sacrilegium appellatur.

XXXV.

Peculatus est, cum quis publicam pecuniam siue rem interuertit.

*L. vn. C. de crimin. peculatus. & l. sacrilegi 9. §. Labeo ff. ad l. Iul. pecul.*

XXXVI.

Per publicam pecuniam intelligimus quoque eam, quam quis ciuitati surripit.

*L. 4. §. vlt. ff. d. t. sed obstare videtur l. ob pecuniam 81. ff. de furtis, vid. Cuiac. in lib. 1. Respons. Papin. pag. 14. Duaren. lib. 2. disputat. c. 26. & Decian. lib. 8. c. 28. n. 11.*

XXXVII.

In hoc crimine spectamus tum modos, quibus committitur, tum etiam poenam eius: tum deniq; defensionem accusati rei.

XXXVIII.

Modi, quibus committitur peculatus hi sunt: si quis pecuniam publicam auferat, in rem suam vertat, aut faciat quod quis eam auferat, intercipiat, vel in rem suam vertat: si quis in aurum, argentum, æs publicum quid indat, vel immisceat, aut sciens dolo malo faciat, quod quid indatur, immisceatur, quod id peius fiat: (a) Si is qui in moneta publica operatur, extrinsecus sibi pecuniam finget forma publica, vel signatam furetur: si quis item ex metallis publicis aurum, argentumue subtrahat, aut subtrahenti sinum præbeat: (b) Si quis tabulam æream, formamue agrorum, aut quid aliud continentem refigat, vel quid inde mutet, aut in publicis tabulis quid deleat, vel inducat (c) si quis iniussu eius, qui ei rei præerit, tabularum publicarum inspiciendarum, describendarumque potestatem faciat: (d) si quis quod fisco debetur, simulans se fisci creditorem, accipiat: (e) si quis in tabulis publicis minorem pecuniam, quam quid venierit, locauerit, scribat, aliudue quid simile committat: (f) si quis muros perforet, vel inde aliquid auferat: (g) si quis prædam ab hostibus captam surripiat. (h)



a) *l. 2. ff. ad l. Iul. peculat.* (b) *l. Sacrilegij 6. §. qui in moneta, & §. seq. ff. d. t.* (c) *l. qui tabulam 8. ff. eod. t. ob stare videtur. l. 2. ff. de l. Iul. Maiest. vid. Decian. d. c. 28. n. 21.* (d) *l. sacrilegij 9. §. senatus ff. h. t.* (e) *d. l. sacrilegij 9. §. eodem capite ff. eod.* (f) *l. hac lege 10. in princ. ff. h. t.* (g) *l. qui perforauerit 11. ff. h. t.* (h) *l. penult. ff. eod. t. plures modos memorat Decian. d. c. 28.*

## XXXIX.

Peculatus pœna principalis alia est pecuniaria, (a) alia corporalis. (b) Pecuniaria illa pœna est, ablata pecuniæ quadruplum, (c) quod etiam ab heredibus rei defuncti exigere potest. (d)

a) *l. ult. ff. ad l. Iul. peculat.* (b) *l. 3. ff. d. t. & §. Item lex Iulia peculatus, Inst. de public. iud. & l. vn. C. de crim. peculat.* (c) *l. sacrilegij 6. in fin. & l. pen. ff. ad l. Iul. Peculat. Paul. lib. 5. sentent. t. 27. de l. Iul. peculat. Damhoud. in praxi rer. criminal. c. 27. n. 2. & 3.* (d) *d. l. ult. ff. ad l. Iul. peculat. Quæ lex de publicatione bonorum intelligi non potest: quippe cum ea sit accessio deportationis, non principalis pœna l. 3. ff. ad l. Iul. peculat. & l. 3. ff. de interd. & relegat.*

## XL.

Sed an quadrupli, vel dupli tantum pœna teneatur, qui surripuit pecuniam fisco debitam solum, & nondum ei incorporatum, quæritur? Nos & eum quadrupli pœnæ obnoxium existimamus.

*Per l. sacrilegi 9. §. eodem capite ff. ad l. Iul. peculat. contrarium volunt Cæpolla consil. 39 n. 35. Curt. iun. consil. 19. n. 13. versic. circa vltimum: & Tib. Decian. tract. Criminal. lib. 8. c. 30. n. 5. pro quibus facere videtur l. peculatus 12. ff. ad l. Iul. peculat.*

## XLI.

Peculatus pœna corporalis ex l. Iulia peculatus est deportatio, cui accedit bonorum publicatio. (a) Sed quia peculatus est furtum, iccirco hodie in locum deportationis, pœna suspendij successisse videtur. (b)

a) *l. 3. ff. ad l. Iul. Peculat. & §. item lex Iulia peculat.* (b) *Damhoud. d. c. 27. n. 3. & facit Constit. Caroli V. In der peinlichen Halsgerichtsordnung, artic. 162.*

## XLII.

Quod si ipsi iudices tempore administrationis, publicas pecunias subtraxerint, capitali animaduersione puniuntur, vt & hi, qui ministerium eis ad hoc adhibuerunt, aut subtractas pecunias scientes ab illis susceperunt.

l. yn.



977.

*l. vn. C. de crim. peculatus, & S. Item lex Iulia peculatus, Inst. de public. iud. facit quo ad opem ferentes. l. pen. C. ad l. Iul. de vi publ. vel priu.*

XLIII.

Eorum opinionem, qui peculatus crimen hodie quibusuis capitale esse volunt, (a) non probamus. (b)

a) Gothofred. ad l. 3. ff. ad l. Iul. peculat. Cuiac. ad Iul. Paulum. lib. 5. t. 27. Nam d. l. vn. C. de crim. peculat. agit specialiter & nominatim de iudicibus ipsis, vs & d. S. Item lex Iulia peculatus, vers. sed si quidem ipsi, Inst. de publ. iudic.

XLIII.

Comes item thesaurorum Imperatoris, si ex ipsis thesauris sub specie publici creditoris, aurum cuiquam commodauerit ac dederit, capitali sententiæ subingatur: Et qui absque Imperatoris auctoritate accipit aurum ex ærario Imperiali occultè, aut cautionis, aut sponsonis vice, vt debitor redditurus, ablatis bonis omnibus perpetuæ deportationis subditur exilio.

*l. 2. C. de ijs, qui ex publicis rationibus lib. 10.*

XLV.

Qui ex metallis Cæsarianis aurum argentumue furatus fuerit, ex edicto Diui Pij, exilio vel metallo, pro dignitate personæ, punitur.

*d. l. sacrilegij 6. S. vlt. ff. ad l. Iul. peculat.*

XLVI.

Cæterum qui furanti ex metallis publicis finum præbuit: aut ex metallo aurum illicitè habuit, non in corporalem, sed prædictam quadrupli poenam condemnandus videtur.

*d. l. sacrilegij 6. S. vlt. vbi gloss. ff. d. t. Decian. d. lib. 3. c. 30. n. 5.*

XLVII.

Est & hæc criminis huius poena quædam, quod eius abolitio accusatori non datur.

*l. 3. C. de abolit.*

XLVIII.

Quod attinet defensionem accusati rei, tueri se aduersus accusationem potest, qui exegit pecuniam à suo & fisci debitore, si quidem non fisci pecunia intercipiatur, quæ debitori eius aufertur, cum debitor ille fisci nihilominus maneat.

*l. peculatus 12. ff. ad l. Iul. pecul. obstare videtur l. deferre 18. S. vlt. ff. de iure fisci, & l. sacrilegi 9. S. eodem capite ff. ad l. Iul. peculat.*

Zz. 3.

Et.



## XLIX.

Et quia peculatum non committit is, cuius periculo publica pecunia est, iccirco si ille accusetur de hoc crimine, ab hac accusatione se eximere potest.

*d. l. sacrilegi 9. §. Labeo, & §. Is autem ff. ad l. Iul. peculat. Sed obstare videtur l. vn. C. de crimine. peculat. & §. item lex Iulia peculatus vers. sed si quidem Inst. de public. iudic.*

## L.

Defendere item contra accusatorem se potest reus quinquennij præscriptione: siquidem peculatus crimen ante quinquennium admissum obijci nequeat.

*l. peculatus 7. ff. ad l. Iul. peculatus 7. Alias crimina regulariter vicennio tolluntur, l. querela 13. C. ad l. Cornel. de falsis.*

## LI.

Succedit peculatus species altera, SACRILEGIUM FURTIVUM: quod vel propriè vel quasi sacrilegium est. Propriè eiusmodi sacrilegium est, cum quis publicam rem, sacram, vel religiosam intercipit: (a) quem iura propriè sacrilegum appellant. (b)

a) *l. sacrilegi 9. §. 1. & 2. & l. hac lege 10. §. 1. ff. ad l. Iul. peculat. Tyb. Decian. tract. Criminal. lib. 8. c. 28. n. 8. ubi affirmat in re quoque religiosa fieri sacrilegium.* (b) *l. 4. §. 2. d. l. sacrilegi 9. in princ. ff. ad l. Iul. peculat.*

## LII.

Cæterum dubitatur, an sacrilegium sola rei sacræ contrectatio faciat; an verò etiam id requiratur, ut è loco sacro res ea auferatur, ita ut sacrilegium non sit, si res sacra è loco prophano surripiatur? Nos prius, non posterius necessariò exigimus.

*per text. in lege sacrilegi 9. §. 1. ff. ad l. Iul. peculat. & ordinat. criminal. Caroli V. artic. 171. Cuiac. libr. 13. obs. c. 19. in fin. & Duaren. ad d. t. ff. ad l. Iul. peculatus c. 2. in fin. Aduersari videtur l. sacrilegi 6. in princ. vers. Cæterum ff. h. t. & l. aut facta 16. §. locus ff. de pœnis.*

## LIII.

Quæritur & illud, an sacrilegium sit, si quis rem priuatam in æde sacra depositam surripiat? Cum Marciano Iurisconsulto

ex



ex Diui Seueri & Antonini Imperatorum rescripto furtum, non sacrilegium esse dicimus.

*per text. in l. Diui Seuerus 5. ff. ad l. Iul. peculat. obstare videtur d. l. aut facta 16. §. locus facit ff. de pœnis. c. si quis contumax & c. quisquis §. similiter 17. quest. 4. & d. Ordinatio Criminal. Caroli V. artic. 171. 172. & 184. vide Duaren. d. c. 2. & Cuiac. d. c. 19.*

## LIV.

Quòd si ipsemet ædituus, der Mefner, surripiat rem sacram, nunquid sacrilegij reus erit? Affirmamus.

*d. l. sacrilegi 9. §. 1. ff. ad l. Iul. peculat. obsistere videtur, in eadem l. §. Labeo vers. & idè adituum, & §. is autem.*

## LV.

Pœna sacrilegij pro rei & temporis conditione, & personæ qualitate est arbitraria. (a) Qui enim monstrantias, in quibus sacramentum altaris conseruatur, surripuit, igne viuus combuntur. (b)

*a) l. 4. §. 2. & l. sacrilegij 6. in princ. ff. ad l. Iul. peculat. (b) Peinliche Halsgerichtsordnung. Keiser Carls des fünfften, artic. 172. d. l. sacrilegij 6. in princ. ff. ad l. Iul. peculatus.*

## LVI.

Qui verò calices, patinas, aliæue sacra vasa ex sacro vel alio loco furatus probatur, similiter capite punitur, (a) sed modò hac, modò alia capitali pœna ex consilio iurisperitorum. (b)

*a) l. sacrilegi 9. in princ. ff. d. t. l. aut facta 16. §. locus ff. de pœnis. (b) d. l. sacrilegij 6. in princ. ff. eod. & Peinliche Halsgerichts Ordnung d. artic. 172.*

## LVII.

Similiter punitur, qui furti faciendi animo templa, aut sacraria ferramentis aperit.

*Peinliche Halsgerichts Ordnung. artic. 172.*

## LVIII.

Qui autem modicum aliquid rei sacræ de templo tulit, veluti ceram, candelabrum, altaris linteum, &c. vt vulgaris fur puniri iubetur, si non ferramentis sibi aditum ad has sacras res fecerit.

*Peinliche Halsgerichtsordnung. artic. 174.*

## LIX.

Quasi sacrilegium est, cum quis arcam Eleemosinarum aperit, atque



atque inde quid surripit, aut surripere laborat: cuius pœna corporalis est, & quandoque pro rei conditione, & personæ qualitate capitalis.

Peinliche Halsgerichtsordnung.

L X.

Et item quasi sacrilegium, si quis vel priuata sacra, (a) vel rem prophanam in æde sacra depositam (b) furetur: Cuiusmodi sacrilegium, cum maius furto sit, minus verò sacrilegio, ita propriè dicto, seueriùs in hunc sacrilegum animaduerti debet, quàm in simplicem furem, mitius verò quàm in sacrilegum proprium. (c)

a) *l. sacrilegi 9. §. 1. ff. ad l. iul. peculatus.* (b) *d. can. si quis contumax §. sacrilegium ergò, & c. seq. §. similiter sacrilegium 17. quæst. 4. Peinliche Halsgerichtsordnung. artic. 171. & artic. 174.* (c) *d. l. sacrilegi 9. §. 1. ff. ad l. iul. peculatus. d. l. aut facta 16. §. locus ff. de pœnis. Peinliche Halsgerichtsordnung. dict. artic. 174.*

L X I.

Est & aliud sacrilegium superiori proximum, & ad fine, diuinæ scilicet legis' sacritatem aut nesciendo omittere, aut negligendo violare, & offendere: (a) Item contemnere, & violare sacras constitutiones principum: (b) tum etiam disputare de principis iudicio, veluti dubitare, an is dignus sit, quem Imperator elegerit. (c) vt & petere eius prouinciæ administrationem, ex qua originem ducimus, (d) quam tamen vltro libera litate ab Imperatore delatam suscipere licet. (e)

a) *l. 1. C. de crim. sacrilegij* (b) *l. vlt. C. de priuilegijs eorum, qui in sacro palat. mihi l. 1. C. vt dig. ord. seru. l. lege repetita 13. C. de erog. milit. anno. libr. 12.* (c) *l. disputare 3 C. de crimine sacrilegij l. sacrificij 5. C. de diuers. rescript.* (d) *l. vlt. C. de crim. sacrilegij, l. iul. Paul. lib. 5. sentent. t. 12. §. in ea prouincia. Sed obstare videtur l. 2. C. de offic. prator. vbi cauetur, ne pratores in vrbe fiant, nisi qui in ea domicilium habent, vid. Cuiac. ad t. C. vt nulli patrie suæ administratio sine speciali permissu principis permittatur.* (e) *d. l. vlt. C. de crim. sacrilegij, & facit l. in consiliarijs 10. C. de adsefforib. l. si cui 38. in princ. ff. ex quib. caus. ma. & l. 3. ff. de offic. adseffor.*

L X I I.

Succedit CRIMEN RESIDVORVM, quod est publicum maleficio, (a) commissum ab eo, qui cum publico officio præesset, pe-



DECIMA SEXTA.

173.

pecuniam publicam in vsum aliquem delegatam retinuit, neque in eum vsum consumsit. (b)

a) *S. sunt praterea Inst. de public. iud. & l. vlt. ff. ad l. Iul. peculat.* (b) *l. 2. l. 4. §. lege Iulia, & S. seq. l. sacrileg. 9. §. vlt. ff. d. t.*

LXIII.

Huius criminis reus lege Iulia de residuis, actione residuæ pecuniæ tenetur, (a) & amplius tertia parte, quam debet, punitur, (b) quæ actio etiam aduersus heredes transit. (c)

a) *l. sacrilegi 9. §. vlt. ff. ad l. Iul. peculat.* (b) *d. l. 4. §. qua lege damnatus ff. d. t.* (c) *d. l. vlt. ff. eod.*

LXIV.

Qui autem, cum deponit administrationem ad ærarium proficitur, pecuniam, quæ penes se est, in hoc crimen non incurrit.

*d. l. sacrilegi 9. §. vlt. ff. ad l. Iul. peculat.*

LXV.

AMBITVS est crimen publicum, (a) quod committit ille, qui in prouincijs magistratum, vel quouis loco sacerdotium per suffragia dato vel promisso quopiam sibi deferre conatur, (b) vel munus publicum, quod gessit, antequam suæ administrationis rationes reddat, repetit. (c)

a) *l. 1. ff. de public. iud. & S. sunt praterea, Inst. eod. t. Caterùm ambitus à crimine alienus videtur. per text. in l. vn. C. de suffragio, de qua l. vide Duaren. lib. 2. disputat. c. 21. Alciat. lib. 2. paradoxor. c. 14. & maxime Ioan. Robert. libr. 2. recept. sentent. c. 21.* (b) *l. vn. ff. de l. Iul. ambit. l. vlt. C. ad l. Iul. repetund. Nouell. 8. c. 1. & 7. Nouell. 161.* (c) *l. vn. C. ad l. Iul. de ambitu.*

LXVI.

Sunt ergò ambitus species duæ: Vna generis nomen retinet, & ambitus dicitur: (a) altera simonia appellatur. (b)

a) *d. l. vn. ff. de l. Iul. Ambit. & l. vn. C. eod.* (b) *l. si quenquam 31. C. de Episcop. & cler. c. 1. c. non satis & cc. seqq. & t. t. extra de simonia, Menoch. lib. 2. de arbitr. iud. cent. 5. casu 401.*

LXVII.

Ambitus ita specialiter dictus, vel propriè ambitus est, vel est quasi ambitus.

*d. l. vn. in fin. ibi, ad instar legis Iulie Ambitus C. ad l. Iul. de ambitu.*

Aaa

Am-



Ambitus propriè est, cum quis precio suffragium de magistratu, in prouincia aliqua vel ciuitate adipiscendo mercatur.

*d.l.vn. §. 1. ff. de l. iul. de ambitu Nouell. 8. c. 1. & 7. Nouell. 161.*

Quasi ambitus species duæ sunt: vna, cum quis nouum vectigal instituit, vel quis reus aut accusator domum iudicis ingreditur: (a) altera, cum ille, qui muneri publico præfuit, antequam administrationis suæ rationes reddiderit, idem munus repetit. (b)

a) *d.l.vn. §. pen. & vlt. ff. de l. iul. ambitus, sed vid. Duaren. ad eundem t. & Tyb. Decian. in tract. criminal. lib. 8. c. 22. n. 17. & c. 23. n. 5.* (b) *d.l.vn. C. ad l. iul. de ambitu.*

Pœna ambitus ita propriè dicti, & quasi ambitus prioris speciem ex l. Iulia ambitus, deportatio erat, (a) sed ex Constitutione Iustiniiani est quadruplum eius, quod pro suffragio datum est, si quis ad regendam prouinciã ambitu promoueri desiderauerit, adeptus administratione, & sordidè in prouincia versatus sit: (b) ex Senatusconsulto est centum aureorum, cum infamia, si quis in municipio magistratum precio ambierit, vel nouum vectigal instituerit, aut si reus, vel accusator domum iudicis ingressus probetur. (c)

a) *per d.l.vn. in fin. C. ad l. iul. ambit. & Iul. Paul. libr. 5. sent. t. 30.* (b) *l. vlt. C. ad l. iul. repetund. Nouell. 161. c. 1. in fin. Cuiac. ad d. Nouell. 8. vers. eodem crimine, eademq; pœna.* (c) *d.l.vn. §. 1. S. pen. & vlt. ff. de l. Iulia Ambitus.*

Restituitur tamen in integrum, qui damnatus lege Iulia ambitus aliam conuicerit de eodem crimine: pecuniam autem non recipit.

*d.l.vn. §. qua lege ff. d. r.*

Pœna quasi ambitus posterioris speciei, est deportatio.

*d.l.vlt. C. ad l. iul. de ambitu.*

SIMONIA est, cum quis sacerdotium suffragio precij sibi comparat: cuius criminis reus iure Iustiniano non solum à gradu sacerdotij retrahitur, sed & perpetua infamia notatur: vt & ille qui accepit

pit



pit pro suffragio (a) Quinetiam pro hac causa, quod datum est precium, vel promissum Ecclesie, vindicatur illi, cuius sacerdotium Simoniacus petijt; Et si laicus sit, qui accepit precium, aut eius promissionem, duplum dati vel promissi Ecclesie eidem dare iubetur.

a) d. l. si quenquam 31. C. de S. Sanct. Eccles. & Nouell. 123. c. 2. S. pra omnibus.

LXXIV.

Iure item Canonico varijs poenis Simoniae crimen coercetur. Prima est, priuatio gradus Ecclesiastici. (a) Secunda Excommunicatio Pontificia. (b) Tertia Depositio, & infamia. (c) Quarta poena pro rei, facti, & personae qualitate arbitraria est. (d)

a) c. si quis Episcopus, & c. presbyterum, 1. quaest. 1. c. audiuius extra de Simonia. (b) c. reperiuntur, 1. quaest. 1. (c) c. sane 15. quaest. 3. & c. inquisitionis in princ. extra de accusat. (d) vt post alios, quos refert, & sequitur, ostendit Menoch. lib. 2. de arbitr. iud. cent. 5. casu 401. n. vlt.

LXXV.

Reliquum nobis est PLAGIUM. Est autem Plagium crimen publicum, (a) quod is committit, qui sciens dolo malo liberum hominem inuitum alienat, ab alienante accipit, (b) aut supprimit siue celat; (c) vel seruo alieno, vt à domino fugiat, persuadet, (d) aut eum domino inuito vel inscio suscipit & celat, (e) vel proprii serui fugam vendit. (f)

a) l. Plagij criminis 13. C. ad l. Fab. de plagiar. (b) l. 1. l. 4. ff. de l. Fab. de plag. l. quoniam. 7. l. abducti 11. l. liberum sciens 15. C. d. t. (c) l. penult. S. vlt. ff. eod. l. si fratrem 5. l. plagij 14. C. d. t. & l. Fullo & sarcinator 82. S. qui ancillam ff. de furtis. (d) d. l. pen. S. vlt. ff. h. t. l. 1. l. 2. C. eod. (e) d. l. 2. l. eum qui 9. l. si quis 12. & l. plagij 14. C. d. t. l. 3. in princ. l. eum 5. & l. seq. ff. h. t. (f) l. 2. per tot. & maxime S. vltim. ff. eod. t. l. in fuga 6. C. d. t.

LXXVI.

Poena huius criminis, ex lege Fabia de plagiarijs, pecuniaria est: (a) verum ea in vsu esse desijt, nisi proprius seruus in fuga constitutus, sit alienatus: (b) Et ceperunt huius criminis rei pro modo delicti coerceri, & capite puniri, (d) & plerunq; in metallum damnari. Qui autem plagiarius viuentis filij miserandam infligit parenti orbitatem, si ingenuus fuerit, gladio consumitur, si seruus, aut libertus, bestiis subijcitur. (f)

AAA 2

a) l.



## DISPUTATIO

a) *l. lege Fabia 12. ff. de manumissionib.* (b) *l. infuga 6. vbi gl. C. ad l. Fab. de plag. Vvesemb. in parat. ff. h. t. in fin.* (c) *l. vlt. ff. h. t.* (d) *l. i. ff. eod. t.* (e) *d. l. vlt. ff. h. t. & l. vlt. C. eod.* (f) *d. l. vlt. C. h. t.*

## LXXVII.

Socius item huius criminis, eadem poena tenetur.

*l. comparantem 10. C. h. t. & l. pen. in fin. ff. eod.*

## LXXVIII.

Iure diuino, (a) & Canonico, (b) omnis plagiarus, qui sciens dolo malo hominem liberum vendit, morte punitur.

a) *Deuter. 24. & Exod. 21.* (b) *c. 1. extra de furt.* Sed obstat, quod poena mortis Iure Canonico potestati seculari relinquatur, c. in archiepiscopatu extra de raptor.

## FINIS DISPUTATIONIS

## DECIMÆ SEXTÆ.



Ka 3071

(3/4)

ULB Halle

3

003 261 573



sb

Einband. 3/1.











163.

# Disputatio XVI.

DE CRIMINE REPETVNDARVM, CRIMINE  
Fraudatæ Annonæ, Peculatu, Sacrilegio furtiuò, crimine Resi-  
duorum, Ambitu & Plagio:

Q V A M,

*Diuina aspirante gratia.*

P R Æ S I D E,

## CLARISSIMO


### ET CONSULTISSIMO VIRO,

DN. HENRICO BOGERO, V. I. D.

*& Antecessore in illustri Tubingensium Academia. prestan-  
tissimo, Præceptore suo in primis ho-  
norando,*

ORDINARII EXERCITII GRATIA,  
tempore, locoq; consuetis, pro virili tueri  
conabitur

IOHANNES LEVCHSNERS  
*Franco.*



TUBINGÆ,  
*Apud Georgium Gruppenbachium.*

Yy

M. D. XCIX.